

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Lvdovici Venegas ... Mariale beatissimae virginis variis  
conceptibvs moralibvs illvstratvm**

**Venegas, Luis**

**Fribvrgi Brisgoiae, 1624**

Sermo secundus

[urn:nbn:de:bsz:31-160454](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160454)

verbis insinuatur, nitantur. Ipsa ergo quæ vera Dei & misericordiæ Mater extitit, nostrâ sacratissimi Rosarii cõfraternitatem instituit, quæ nostro sanctissimo Patri Dominico conspicuè apparens, ei præcepit, vt hanc sacratissimam sodalitatẽ iam penè extinctam, vbique repararet, ac de nouo institueret. Et sic cõfraternitas Equitum aurei Velleris à Philippo Burgundia duce instituta, tam celebris est, vt nullus sit, etiam si imperatoriã, regali aut ducali dignitate præfulgeat, qui ei inscribi se non procuret, ac ex collo pendens vellus aureum non deferat. Quid de nostra fraternitate dicam, cuius fundator non Philippus Burgundia Dux aut Imperator, vel Rex aliquis terrenus, sed ipsa Angelorum Regina, & Dei Mater fundatrix extitit? Digna planè est, vt omnium fidelium cordibus imprimatur, ita vt nullus existat, qui huic sacratissimæ sodalitati se coaptari nõ procureret. Omnes Rosarium manibus gestemus, & sanctis considerationibus evoluumus, est enim mediũ efficacissimum ad remissionem peccatorum, & gratiam in hoc sæculo obtinendam & in alio gloriam, quam mihi & vobis præstare dignetur Iesus Christus

Amen.

\* \*  
\*



### *Sermo secundus*

#### PRO SALVTATIONE *Angelica.*

**N**Otandum est ille locus Isaia, quem rectè perpendit doctissimus Arias Montanus. *Reueratur ad Dominum & miserebitur eius, & ad Deum nostrũ: quoniam multus est ad ignoscendum. 55. cap.* Vbi in alia versione sic legitur. *Oret ad Dominum & miserebitur ei.* Ac si apertius diceret, qui voluerit, vt Deus sui misereatur, & patris sceleribus ignoscat, ferventes orationes amore diuino inflammatas offerat, Rosarium recitet, in quo diuinis considerationibus ad superiora assurgens, Deum propter peccata iratum in misericordiæ patrem conuertat, & *miserebitur eius: quoniam multus est ad ignoscendum.* Xante Pagninus hæc verba mysteriosè vertit. *Quia multiplicat, vt parcat: Quasi diceret, qui Deum vt misericordiæ patrem sibi comparare voluerit, licet aliã rigidam & austeram iudicis personam contra nos agat, oret ad Dominum, quia mul-*

ripli-

explicat ut parcat: Deum enim orationibus sacratissimi Rosarii variis modis multiplicavit; modò in patrè, ut nostris necessitatibus paterno amore subueniat, iam in matrem, quæ proprio lacte nutriat & sustentet, deinde in Regem & ducem potèntissimum, ut ex bello continuo, quo singulis momentis cum dæmone decertamus, victoriam fæliciter obtineamus. *Quia multiplicat ut parcat.* Si aliquibus orationibus, Charissimi Filii, Deum in varias formas multiplicamus, hoc præcipuè orationibus sacratissimi Rosarii efficitur, quibus Deus nostram deuotionem variis modis & repræsentationibus excitat, mysteriis gaudiolis, in forma infantis nostram considerationem movet: In dolorosis vt Redemptor apparet, qui variis passionū generibus, actandem turpissimâ morte nostram salutem operatus est: In gloriosis verd in triumphantis forma se nobis visendum & contemplandum proponit. *Quia multiplicat ut parcat.* Si tanta est vis & efficacia sanctissimi Rosarii, vt Deum in varias formas conuertere & commutare possit, id hodiernâ luce, quæ illius celebritati dicata est, maiori sanè iure præstabit, & nobis multiplicatam Spiritus Diuini gratiam obtinebit, vt de ipsò aliquid dignè hoc breui temporis spatio proferre possimus, confi-

denter igitur Spiritus sancti gratiam, interuentu & intercessione Beatissimæ Virginis & Sanctissimi Rosarii precibus postulemus, dicendo Ave Maria

*Liber generationis Iesu*

*Christi, Filii David. &c*

*Matthæi 1. cap.*

**S**piritus Sanctus Eccl. 24. cap. Diuinam sapientiam, Verbum nempè Diuinum in præsentia suorum electorum, de propriis laudib<sup>9</sup> elegantissimâ concionem habentem introducit his verbis. *Ego ex ore altissimi prodiui, primogenita ante omne creaturâ. Ego feci in caelis vt oriretur lumen indeficiens. Ego in altissimis habitauit. Gyrum cæli circuiui sola & profundum abyssi penetraui, & in fluctibus maris ambulauit &c.* Et in toto illius capitis discursu Verbum Diuinum, quæ sapientia patris est, proprias excellentias ad cælum vsq; extollit: Quia verd impossibile est illarum magnitudinem, vt ipsæ in se sunt, hic in terra propter earum incòprehensibilem perfectionè, verbis perstringere, idè eas ingenii nostri imbecillitati accommodans, per visibiles creaturas explicat, licet longè superent omnes simul creatas perfectiones, etiamsi eminentissimæ sint; Quapropter Sapiencia Diuina se diuersis rebus comparauit,

O o cedro

cedro scilicet, cypresso, palmæ, oli-  
uæ, platano, rosæ, cinamomo &  
balsamo, viti fertili & abundanti, &  
aliis multis. Apertum planè est De-  
um hæc omnia in perfectione excel-  
lere, cum etiam à creatura rationali  
superentur, sunt tamen mysteriosa  
epitheta, quibus Deus seipsum com-  
parat, vt aliquod ex his, quæ Deo cõ-  
petūt, indagemus: Creaturæ enim ve-  
stigia quædam sunt diuinarum per-  
fectionum, per quæ eas investigare  
possumus, vt docet Apostolus Pau-  
lus. *Inuisibilia enim Dei, à creatura  
mundi, per eaque facta sunt, intellecta  
conspiciuntur. Rom. i. Cũ ergò Sapien-  
tia Diuina asseruisset se esse cibũ &  
potum. Qui edunt me adhuc esurient;  
& qui bibunt me, adhuc sitient. Eccles.  
24. postea aliqua verba profert, qui-  
bus se librum esse insinuat, non qui-  
dem emortuum, sed vitalem qui lo-  
qui potest & audiri desiderat. Qui  
audit me non confundetur: Et qui ope-  
rantur in me, non peccabunt. Vbi in-  
dicat nullum confundendum fore,  
qui doctrinam huius libri attentè  
auscultauerit, nec peccaturum, qui  
exequutioni mandauerit, id est, nul-  
lus errabit, qui huic libro studuerit,  
peccate enim errare & à recto tra-  
mite deficere est. Addit amplius, *Qui  
elucidant me, vitam æternam habe-  
bunt.* Hoc est, qui in legitimo sensu,  
quem Ecclesia spiritu sancto inspira-  
ta intendit, interpretati fuerint, vi-  
tam æternam habebunt. In alia ver-*

sione sic legitur. *Interpresque meæ  
vitam æternam consequentur.* Ex qua  
mysteriosa versione colligitur, hanc  
esse legitimam loci explicationem.  
Et quod Diuina Sapiencia in hoc  
loco liber appelletur, apertè dedu-  
citur ex contextu, quia addit Spiritus  
Sanctus. *Hac omnia liber visa, &  
testamentum altissimi, & agnitio ve-  
ritatis.* Ex Theologia etiam mani-  
festum est. Quia vt docet Doctor  
Angelicus, i. p. q. 14. ar. 1. *Liber vita, est  
ipsa Dei notitia, quã firmiter retinet se  
aliquos predestinasse ad vitam æternã.*  
Quæ Dei notitia nihil aliud est, quã  
Verbum Diuinum ab intellectu pa-  
tris ab æterno productum, tanquam  
illius imago & expressa similitudo.  
Itaque Æternus Pater originale est,  
ex quo admirabilis iste liber descri-  
ptus est, quem meritò admirandum  
librum appello, quia inter alia pro-  
digia, duo in illo reperiuntur omni  
admiratione dignissima. Primũ est  
imensa illius magnitudo, est enim  
infinitum quoddam volumea, in  
quo omnes diuinæ perfectiones scri-  
ptæ sunt, ideò solus Deus librum is-  
tum scribere, & ex suo fonte deduce-  
re potuit, qui licet tantæ sit magni-  
tudinis, idè qui eum descripsit, ab-  
breuiavit etiam, & ad diuinũ quod-  
dam compendium reduxit. *Verbum  
enim abbreviatũ faciet Dominus super  
terram:* Et forsitan ad tanti libri cõ-  
pendium alludens Ecclesia Catholi-  
ca, sic ait. *Verbum eius altissimi corpo-*

rari

pari passu est carne sumpta, quasi diceret. Liber ille infinitus & æternus, quæ Deo ab æterno produxit, se ad breue corpus reduci permisit, ita paruum, vt à principio suæ cõceptionis quantitatè apud non excederet. Secundum huius libri prodigium est; liber enim iste non emortuus est, sicut qui in Bibliothecis reperiuntur, sed viuus est ex vitali originali transumptus; Idè Petrus Apostolorum Princeps Christum appellauit Dei viui filium. Tu est Christus filius Dei viui. *Matthæi. 16.* Non ergo liber iste vitalis est, solum quia in illo inscripti sunt, qui vitam æternam assequuntur, sed quia ipse in se vitam habet, & in eo æterna vita inuèitur, & quidquid in illo est, vitam continet. *Quod factum est, in ipso vita erat. Ioan. 1.* & quecunque etiam verba protulit, verba erant vitæ æternæ. *Ad quæ ibim?* Verba vitæ æternæ habes. *Ioan. 6.* dixit Petrus: In intelligentia etiam huius libri vita æterna consistit. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quæ misisti Iesum Christum. Ioan. 17.* Et Evangelista Matthæus satis indicat librum istum vitalem esse, cum in initio nostri Evangelii ei originem, generationem & natiuitatem attribuat, sic dicens. *Liber generationis Iesu Christi.* Quo supposito, asseuerandum est, vitæ principissimam Mariam sacratissimam, ad cuius laudes proclamandas, sanctus iste & deuotissimus dies consecratus est, librum vi-

te nuncupandam esse, & verba illa à Diuina Sapiencia pronuntata, Beatissimæ Mariæ rectè congruere. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Imò caput Ecclesiæ. supra relatū, in quo Diuina Sapiencia de se ipsa loquitur, ab Ecclesia Spiritu sancto edocta, Mariæ sanctissimæ accommodatur, quia optimè cum ipsius laudibus ac prærogatiuis coheret. *In me gratia omnis viæ & veritatis. In me omnis spes vitæ & virtutis. Transite ad omnes, qui concupiscitis me.* Quia tanta est & tam suprema illius eminentia, quod voluerit Deus suos præcipuos titulos ei communicare, vt melius à nobis cognosceretur. Hæc enim est in modo cognoscendi Deum & ipsius sacratissimam matrem differentia, quia Deum, vt in initio insinuauimus, ex creaturis agnosimus. *A magnitudine enim speciei & creaturæ,* inquit Salomon, *cognoscibiliter poteris creator horum videri. Sap. 3.* Maria tamen ex suo creatore & filio cognoscenda & investiganda est. Nam si aliquis præstantiam & excellentiam illius per Rachelem, Abigail, Rebeccam, Esther, Iudith & Sulannam, quin & per excellentiores totius vniuersi creaturas, etiam Apostolos & supremos Spiritus Angelicos, Seraphim & Cherubim, manifestare vellet, licet aliquo modo illius excellentiam insinuaret, non tamen plenè aperiret, quanta sit huius creaturæ celsitudo & maiestas, quia sic tantum ex creaturis

turis innotescit, quæ cum ipsa com-  
pari nequeunt. Quemadmodum  
si quis Reginae magnitudinem ape-  
rire volens, eam cum ancillis & no-  
bilissis, quæ comitantur conferret,  
meliùs planè illius maiestas indica-  
bitur ex magna affinitate & cogna-  
tione, quam cum Deo habet, ex  
eo enim quod primogenita Dei est,  
& mater illius naturalis, ac Spiritus  
Diuini sponsa, oritur, vt præclario-  
res Dei tituli modo possibili Mariae  
sacratissimæ communicentur, quod  
rationi valde conforme & consen-  
taneum est. Vt enim in humanis cõ-  
tingit, quamprimùm femina ali-  
qua in vxorem Regis eligitur, ed ip-  
so regi titulis & honoribus deco-  
ratur, ac in Reginam omnium re-  
gnorũ euehitur, quæ ad suum spon-  
sum spectant: Quæ ratio in Maria  
sacratissima maiorem efficaciam ha-  
bet, quia ea, quæ in aliis creaturis  
reperta non sunt, in ipsa strictissi-  
mo quodam vinculo & cognatione  
cum Deo coadunata fuere. Quare si  
cut vnum relatiuum sine alio de-  
finiri nequit, ita si Maria sanctissi-  
ma exactè definenda est, non nisi  
in ordine ad Deum eius excellentia  
hac ratione explicari potest. Bea-  
tissima Maria est quædam creatura,  
quæ Patrem æternum pro Patre, &  
Verbum Diuinum pro filio, & Spi-  
ritum Sanctum pro sponso sortita  
est. Quæ cum ita sint, rationi con-  
sonum est, vt eisdem Dei titulis

& honoribus decoretur; licet enim  
creatura sit, aded tamen ex-  
cellens & præstans est, vt suum pro-  
prium creatorem suis sanctissimis  
vberibus aluerit & sustentauerit.  
Hinc ardentissimus ille amor proce-  
debat, quo Maria & eius filius se  
mutuò diligebant. Si ita Deus di-  
lexit mundum, vt suum filium  
vnigenitum pro redemptiõne gene-  
ris humani sibi sacrificandum daret,  
quo, quæso, amore eam prosequutus  
est, cui suum filium dedit, vt eum  
generaret ac proprio lacte nutrireret?  
Et quanto etiam Maria sacratissima  
ergà suum vnigenitum filium, tot ti-  
tulis & rationibus, omni amore di-  
gnissimũ, & q̄ eam sumo amore dili-  
gebat, affecta fuit? Et quo tandè Bea-  
tissima Virgo suum creatorem di-  
lexit, qui eam præ cæteris creaturis  
excellentissimã produxit, & suum  
etiam Redemptorem, quæ vt eam  
redimeret, novum quendã redem-  
ptionis modum excogitarit, vt plu-  
rimi ex Doctõribus Theologis pro-  
babiliter affirmant? Sanctus Ber-  
nardinus Tom. 2. Serm. 61. asserit,  
quod Beata Dei genitrix *primogeni-  
ta fuerit Redemptoris sui Iesu Christi,  
& plus pro ipsa redimenda venerit,  
quàm pro omni alia creatura.* Quod  
deinde amore Regina cælorum iuu  
glorificatorem amauit, qui eam im-  
mensã gloriã super omnes Angelo-  
rum choros, tanquam supremam om-  
nium creaturarum Imperatricem exal-

exaltavit? Imenso planè amore Deū dilexit, quæ filiū diuinum ex proprio ac purissimo sanguine, sine virili semine secundū hūanitatē, totum solo Spiritu Diuino afflata produxit; in cuius consideratione nostri sensus deficiunt, & ingenii vires extendi nequeunt. Sanctus Ioannes in sua Epistola canōia 1. cap. 2. Deū charitatem appellat; *Deus charitas est.* Et Spiritus Sanctus amor dicitur, qui est Beatissimæ virginis sponsus: si ergo Spiritus Sanctus amor & charitas est, ipsa etiam amor nuncupari potest, & verissimè hoc de illo proferre possumus. *Maria charitas est.* Quod vt accuratè cōprobemus, animadversione dignissimus est ille locus Canticorum 3. *Adiuuro vos filia Ierusalem per capreas cervosquē camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Vbi nostra vulgata legit *dilectam*, in hebræo textu legitur *Ababa*, quæ vox significat charitatem. *Ne suscitetis charitatem.* Et septuaginta Interpretes vertunt. *Amorem.* Si igitur Spiritus Diuinus vnigeniti Filii Dei Matrem amorem vocat, & meritò, quia ipsius amoris sponsa est, quid mirandum est si ea, quæ à Deo inter puras creaturas magis dilecta est. Dei titulos participet, & certo quodam & ineffabili modo Deus sit. saltim per amorem, cum id per naturam repugnet? Aristot. 9. Ethicorum de amicis loquens,

fic ait. *Amicus est alter ego.* Et si hoc de amicis huius sæculi verificatur, quid de amicis Dei censendum erit? ipse suos amicos Deos vocat: *Ego dixi Dii estis.* psal. 81. Et S. Augustinus super primam Cano. Ioannis dicit. *Deum diligis? quid dicam? Deus eris.* Quia Dei amicus per amorem in Deum transformatur. Et si hæc de aliis hominibus dicere audeat Aug. & verè de aliis iustis profert, à fortiori de Beatissima virgine dici poterunt. Seraphim in cælo empyreo amore diuino inflammati æstuant, sed cor Mariæ sacratissimæ, cum ipsa in terris moraretur, efficacioribus amoris diuini flammis ardebat, ita vt in ipsam charitatem conuersa esset. *Ne suscitatis charitatem.* De charitate scriptum est cant. 3. *Lampades eius, lampades ignis.* Et in textu Hebræo sic legitur. *Lampades eius, lampades ignis, & flamma Dei;* quod denotat vehementissimam flammam: Nam sacra scriptura ea quæ immensæ sunt magnitudinis, tali modo loquendi insinuat. *Moxter Dei, misericordia Dei.* Charitas ergo Mariæ sanctissimæ flamma Dei fuit, & solus ipse tantam flammam in Mariæ sanctissimo pectore excitare potuit. Ex his omnibus infertur, quod Maria sacratissima propter suam eminentiam, quia filia Dei est, sponsa & mater, strictis, amicitie vinculo cum eo coniuncta, digna est, vt sui filii titulis exornetur, vt

Oo 3

sicut

sicut ipse liber vitæ nuncupatur, Maria etiã vitæ & generatiõis Christi liber appellari possit. Propheta Esaias cap. 8. suæ pphetiæ refert, Deum sibi his verbis loquentũ fuisse. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis.* Et septuaginta Interpretes addunt. *Sume tibi librum grandem & nouum.* In quo libro clarè exprimitur Beatissima Virgo, quia ipsa liber est magnus & novus, liber, in quo Spiritus Diuinus generationem & carnem Filii Dei descripsit. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Matth. 1. Sanctus Ambrosius eximius Ecclesiæ Doctor, applicat mysterio Incarnationis illa mysteriosa verba psalm. 44. *Lingua mea calamus scriba, velociter scribentis,* quãdo Verbum Diuinum in vtero Mariæ sanctissimæ nostram mortalitatem assumpsit, in quo mysterio Spiritus sanctus munus scribæ gessit, qui in Beatiss. virginem superueniens, in ea Filii Dei carnem formauit, in cuius efformatione ita velociter mysterium Incarnationis scripsit, quòd in vnico momẽto ea perfecerit, quæ ad Verbi Diuini Incarnationem spectabant, nescit enim Spiritus sanctus tarda molimina. Et Sanctus Damascenus lib. 3. de Fide orth. cap. 2. ad nostrum propositum ait, *Non paulatim per additamenta, sed vno momento, sicut conceptu formata est & perfecta caro Christi, simul caro & Verbi Dei.* Ma-

ria sacratissima liber ille est, quem Evangelista Ioannes extrã & intus scriptum conspexit; intus quidem, propter sui veri sæcunditatem, in quem Spiritus Diuinus descendit, vt in eo Christi sanctissimam carnem formaret; extrã verò, propter eius virginitatem & integritatem admirandam. Nec mysterio caret, quòd Sanctus Evangelista librum istum ad dexterã illius, qui in throno diuinitatis sedebat, intuitus fuerit. Quia Christus Redemptor noster suæ sanctiss. Matri dexteram, tanquam honoratiorem locũ præbet, *Astut Regina à dextris tuis in vestitu deaurato psal. 44.* Ex quibus patet Beatissimam virginem librum esse, quemadmodum & Christus Saluator noster, & nouum librum, quia nihil illo nouius & mirabilius vnquam apparuit, vt Ecclesia decantat. *Nec primam similem visa es, nec habere sequentem.* Et si Salomon librum istum conspexisset & legisset, non diceret Eccles. cap. 1. *Nihil novum sub cælo, nec poterit quis dicere, hoc recens est;* statim enim librum istum exciperet ac diceret, hoc nouum est sub sole, vt insinuauit, & prædixit Propheta Ieremias 31. cap. *Creauit Dominus nouum super terram, fœmina circumdabit virum.* Diuinus Hierotheus ita à magno Dionysio in signi Theologo celebratus, & Apostolorum contemporaneus, natione Hispanus, qui

multa



multa vidit & cognouit de Beatissima Virgine, ac in illius exequiis prædicauit, iudicat maximam totius vniuersi nouitatem fuisse mysterium illud, quod in ea operatum fuit, de diuinis nominibus, cap. 2. part. 2. his verbis, *Verum quod est nouitatum omnium supereminens nouitas, in naturalibus nostris supra naturam erat.* In hoc ergo libro impleta est Ioannis Prophetia *Apoc. 21. Ecce noua facio omnia:* Quia omnia quæ per fidem manifestantur, in Maria sacratissima noua & inaudita sunt. *Nouus filius, quia etiam recenter conceptus, vir fuit perfectus, & id demonstrant illa verba Ieremię, famina circumdabis virum.* *Noua generatio, cum ex matre virgine verus Deus & homo nascatur; Nouus Rex, cum ita potens nascatur, vt illius regnum nullis limitibus & terminis comprehendatur: Nouus & strenuus miles, cum antequam patrem & matrem vocare sciat, fortitudinem Damasci, daemonem scilicet prosternat & superet; noua bella, cum sine armis pugnet, & hostes devincat: Noua victoria per mortem obtenta, dux vitæ mortuus, regnat viuus; noua mors, cum per illam mors nostra per mortem devincenda sit, & nostra vita restauranda: Nouum testamentum, cum ipse testator loco reddituū seipsum in pane & vino relinquat, vt sui hæredes propria carne & san-*

guine nutriti, in illum transformentur: Noua concilia, cum lachrymæ & persecutiões huius vitæ, supremæ felicitate iudicentur: Nouum præmium his qui huius libri doctrinam sequuntur, quia *oculus non vidit, nec auris audiuit 1. Cor. 2.* Et quod magis mirandum est, quod aliquid huius nouitatis Deo conueniat, qui cum per essentiam immutabilis sit, cuius natura nullam mutationem nec nouitatem admittit, vt Sanctus Iacobus dicit, *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. cap. 1.* adhuc tamen, quia intra materna sacratiss. Marię viscera inclusus fuit, quidam nouus Deus apparet, licet enim modus iste incedendi humano more communis sit, & Deum in hoc vestitu homines alloqui fuerint; *Habitu inventus vt homo. Philip. 2.* fuit tamen admiranda ac planè inaudita nouitas, quæ omnes nouitates in Maria sanctissima tanquam in libro nouo scriptæ sunt, & tanquam in magno libro continentur, cum omnia ei<sup>9</sup> filii magnalia in eo scripta sint, De illius filio dictum fuit, *Hic erit magnus, Luc. 1.* idēde ipsa asserendū est, quæ tantum Dominum & totius vniuersi supremum molitorem in suis purissimis visceribus conclusit. Ipsa de se dixit *Quia fecit mihi magna, qui potens est. Luc. 1.* Id est, quia in me fecit, & mysteria secretissima scripsit. *Ex hoc beatā me dicent omnes generat-*

nera-

296 *Sermo Secundus de Sacratissimo Rosario*

nerationes. Et licet Verbum Diuinū circumferibi non potuerit, quia hoc Deo repugnat, qui ex propria essentia infinitus & illimitatus est, in hoc tamen libro inscriptum fuit, quem admodum & in eo genitum, & consequenter liber iste mirabilis ac planè diuinus, omnes sapientiæ diuinæ thesauros in se comprehendit, quia Christum realiter continuit; *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Coll. 2.* Ille liber ingētis est magnitudinis. in quo generatio, vita, mors & gloria Christi nostri Redemptoris scripta est, & in se triplicem tractatum mirandum planè ac imensum continet: Quilibet horum tractatuum in quinque capita diuiditur, & vñ quodque caput pluribus sacramentis refertum est. Itaque capita huius libri quindecim sunt, vbi sacratissimum Rosarium apertè demonstratur, quod ex mysteriis gaudiosis, dolorosis & gloriosis coalescit, liber planè diuinus & immensus est, in quo miranda & incomprehensibilia mysteria comprehenduntur. Hic omnis sanctorū & Dei sapientia ac cælestis Theologia reposita est; hic vniuersa Ecclesiæ fides, Christianorum spes, & id ad quod filii Dei aspirant continetur. In prima sui parte hoc sacratissimum Rosarium generationem Christi temporalem exprimit; In secunda filiorum Dei generationem in morte primogeniti de-

scriptam indicat; In tertia verò eiusdem primogeniti & suorum fratrum regenerationem, quæ per resurrectionem effecta est, apertè manifestat. Vnum saltem mysterium ex vnaquaq; sacratissimi Rosarii parte breuiter attingamus. In prima mysterium incarnationis, quod inter gaudiosa præcipuum est, perpendamus. Sanctus Dionysius 2. cap. de diuinis nominibus mysteriū incarnationis ineffabile sacramentum his verbis appellat. *Iesu Christi in carne apparitio & ineffabilis est sermō omnium, & omni ignota intelligentia, ipsi quoq; antiquissimorū Angelorū primati non satis perspecta.* Vbi Dionysius non solū affirmat mysterium incarnationis humanæ linguæ ineffabile esse, sed etiam supremo Angelorum Principi non satis perspectum. Quis enim satis intelligere poterit, qualiter eadem Diuini Verbi persona duplicem generationē, sine vlla prorsus mutatione terminauerit, & vnicus filius duplicem filiationem sortitus fuerit, aliam à Patre Diuino in æternitate, & aliam in tempore à Maria Matre eius virgine etiam post partum persistente? Quis satis percipiet, quomodo natura humana cum Persona Verbi Diuini sine confusione aut imperfectione aliqua conuenit, & terra illa virginalis à viro prorsus inculsa suum creatore procreauerit? Si Deus ipse qui tantum mysterium operatus est, & omnia quæ

quæ in illo acta fuere, clarissimè in-  
tuetur in enarratione huius mysterii  
obmutuit, quis creatà linguâ aliquid  
proferrè audebit? Si Cherubim, qui  
plenitudine scientiæ dotati sunt, a-  
las, quibus scientiæ plenitudine vo-  
lare possent, contrahunt, nec ali-  
quid insinuare audent: Si Augustini  
ingenium in huius mysterii con-  
templatione hæret, quis vela con-  
siderationis extendet ad tantum sa-  
cramentum explicandum & verbis  
aperiendū? Hinc Beatiss. Mariæ su-  
prema Matris Dei dignitas ac reuit,  
quæ inter omnes illius excellentias  
primatum tenet, vt contra Nestoriū  
& alios hæreticos diuersa Cōcilia, E-  
phesinū, Chalcedonense & Latera-  
nense determinârunt. Hæc digni-  
tas tanta est, vt Sancti Patres sem-  
per in maximam admirationem  
rapiantur, perpendentes, qualiter  
in pura creatura reperiri potuerit:  
Et Seraphim in cælestibus palatiis  
hærent, ac seipos intuentes, ob mu-  
tescunt; Deum aded humilem, &  
Mariam sacratissimam ad tam su-  
premam dignitatem exaltatam, cō-  
siderantes, quâ eundem Filium Dei  
pro proprio habuit & recognovit,  
cui sua virginea vbera præbuit, vt  
illius purissimo lacte nutriretur &  
sustentaretur, quod postea in Christi  
carnem conuersum, Verbo Diuino  
hypostaticè vnitum fuit. Quis tante  
magnitudinis gloriam, nisi oppres-  
sus maneat, contemplari poterit?

Pater enim Diuinus nec maiorem  
gloriam, ac diuitias aut maiestatem  
habet, quam tali ac tanto filio frui,  
& eodem Maria sacratissima poti-  
tur, quæ simul cum æterno patre nō  
imèritò potest dicere. *Hic est fili⁹ me-  
us dilect⁹*. Et si, quia pater & verbum e-  
iusdē naturæ sunt, rectè dicitur, *Qua-  
lis pater, talis filius*, propter eandem  
rationem optimè dici potest, *Qua-  
lis mater, talis filius*. & quod maius est,  
proferri etiam nostro iudicio potest.  
*Qualis filius, talis mater*. Certū nam-  
que est talem esse librum, qualis est  
scriptura, quæ in illo continetur; cū  
ergò Maria sanctissima verus liber  
sit generationis Iesu Christi, suo mo-  
do talis erit, qualis Iesus Christus in  
illo script⁹. Ex hac inenarrabili ma-  
gnitudine habet etiam Maria, quod  
liber sit generationis omnium filio-  
rum Dei, & omnium Christianorum  
mater, quæ generatio in secunda  
parte huius libri continetur, quia in  
morte nostri saluatoris effecta est,  
cū Christus noster parens fuerit, &  
Maria sanctissima nostra mater: In  
illo enim momento, quo Christus  
nos ex suo latere generabat, vbi vl-  
timum spiritum Patri reddidit, ipsa  
etiam nos generauit & peperit, in  
qua generatione Maria sacratissima  
sponsæ potiùs, quàm matris personā  
gessit. Forsitan hæc fuit ratio & my-  
steriū, quare Christ⁹ in cruce nomen  
matris conticuerit, & solū Bea-  
tissimā Virginem mulierem appella-  
uerit

pp

verit

verit. *Mulier, ecce filius tuus.* Ioan. 19. quod nomen maritatis conferri solet. vt patet Gen. 2. cū primus noster parens inobediētiæ & præu-  
 ricationis culpam in suam vxorem contulit. *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi.* Gen. 3. Rupertus Abbas hoc mysterium in verbis Christiani aduertit, quibus, inquit, Maria sacratissima in totius humani generis matrem instituta fuit. Vbi Simon Cassianus super relata verba accuratè notat, quòd si ad temporalem Virginis necessitatem attendamus, nõ tãta erat, vt necessariũ foret, quòd talibus verbis eam Evangelistæ commendaret, quia sine tali comendatione ceteri omnes Apostoli Mariæ sacratissimæ inservirent, ac omnia necessaria ministrarent. Maius ergo mysteriũ in illis verbis, tali tempore prolatis, latuit, necessitas videlicet regenerationis in Christo. & filiatio nostra in ordine ad Dei genitricem Mariam, vt talem ac tantã matrem haberemus; in ea igitur occasione, quæ vltima erat vitæ nostri Saluatoris, voluit Christus suum ergã nos amorem totaliter manifestare, & eam etiam dilectionem aperire, quã vellet nos Beatissimam Mariã prosequi, cui tanquam proprios filios ab ea genitos commendabat. Neque dubitandum est, quin piissimum ac fidelissimum Mariæ cor illis verbis auditis *Mulier ecce filius tuus;* quibus Ioannes tanquam pri-

mogenitus inter adoptiuos filios demonstrabatur, novis quibusdam charitatis flammis accensum fuerit, & maximam nostrarum necessitatum sollicitudinẽ, vt verissima mater habuisse. Sed vt ad Rupertũ redeamus, qui intentum nostrum accuratè perpendit, Maria sacratissima in partu sui vnigeniti filii nullum dolorem perpessa est, ita à doloribus aliena fuit, sicut stella firmamenti, cū suam lucem ac micantem splendorem ex se emittit. *Sicut stella radium, profert Virgo filium, pari forma;* suum namque benedictionis fructum summã fruitione & lætitiã produxit, vt docet Isaias cap. 35. *Germinans germinabit, & exultabit lætibus & laudans, gloria Libani data est ei.* Dolores tamen vici; ad sui filii naturalis mortem referuati fuerunt, tunc alium novum partũ sortita est, quando Christianissimus natus fuit, & nos omnes sanguine nostri Redemptoris Iesu Christi reviximus: Quare si vt Christus Filius Dei viui nuncupatur, ita & nos filii Dei mortui appellamur, quæ generatio inenarrabilis & exquisita est, quam nullus mortalium vnquam aspexit, aut audiuit, vt Isaias dicit cap. 66. *Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit &c. Nunquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens simul, quis parturiuit & peperit Sion filios suos?* In quibus verbis generatio ista mirabilis apertè insinuatur, quam in alio

lio loco inenarrabilem vocat idem Propheta cap. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Vbi Evangelicus Propheta, vt constat extoto contextu, loquitur de Christo. Sed quia in Christo Redemptore nostro fides catholica triplicem generationem, duplicem passiuam, & vnam actiuam designat; generationem videlicet æternam, per quam ab intellectu facundo Patris ex æternitate genitus fuit: Generationem temporalem, secundum quã factus homo, ex Maria sacratiss. natus est: Et generationem actiuam, non quidẽ eam, per quã genitus fuit, sed eam secundum quã vniuersos fideles genuit; idẽd dubium esse potest, de qua istarum generationum loquatur Propheta, cum ait eam esse inenarrabilem. Sanctus Hieronymus affirmat de æterna loqui Isaiam, quia de temporali egit Matthæus in nostro Evãgelio dicens, *Liber generationis Iesu Christi.* Alii dicunt, verba Prophetę intelligenda esse de generatione Christi secundum carnem, quia licet Evangelistę dicant, Christum verum Deum & hominem ex matre, etiã post partum virgine conceptum & generatum fuisse, modum tamen generationis, vtpote inenarrabilem, omiserunt, & idẽd cum Beatissima Virgo modum huius generationis ab Angelo intelligere vellet, *Quomodo fiet istud &c Luc. 1.* Archangelus Gabriel, vt inenarrabilem creatã lin-

quã reliquit, & ad Spiritus Diuini omnipotentiam confugit, quia in tanti sacramenti operatione, Deus post se ianuam oclufit, sicut in suscitando filio viduę fecit Elisæus. Alii dicunt verba Prophetę propriissimẽ intelligenda esse de hac tertia generatione actiuã, quã Deo omnes Dei filios per gratiam generat, ac proprio sanguine & morte viuificat. Sed licet de his omnibus generationibus verificari possit dictum Prophetę, si tamen ad litteram attendamus, videtur de hac tertia generatione loquutum fuisse Prophetam, vt ex contextu patet, immediatẽ enim dicit, *Quia abscissus est de terra viuentium.* Et subdit postea, *Si fuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Quod idem de se ipso aliis verbis dixit Christus, *Si granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, multũ fructũ affert. Ioan. 12.* Ratio verd, quare generatio ista filiorum Dei ita inenarrabilis sit, videtur apertẽ colligi, si ad alias generationes attendamus, & causam investigemus, quare ita admirabiles sint. Et puto esse mentem Sancti Athanasij, æterna enim Verbi generatio idẽd admirabilis extitit, quia ex patre Diuino absq; matre fuit; tẽporalis etiã Verbi generatio, ppter admirãda fuit, quia ex matre sine patre facta fuit: Tertia verd generatio ex hoc capite videtur admirabilior, quia videlicet ex patre mor-

tuo causata fuit. Quia abscissus est de terra uiuentium. Quis vnquam vidit vel audiuit, quodd homo mortuus hominē viuū generaret? Christus igitur moriens, & mortuus innumerabiles filios viuos procreauit, & hoc est, quod dicit Propheta. *Generationē eius quis enarrabit?* Quis enim tot filiorum Dei generationem, ex patre mortuo ortam, enumerare poterit? *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat &c. Apoc. 7.* Et non solum ex patre mortuo, sed etiam ex mortua matre hæc filiorum Dei admirabilis regeneratio deriuata fuit, quæ nos omnes iuxta crucem maximis animi doloribus & angustiis peperit. Ad hanc vsque horam dolores Beatissimæ Virginis, quos in partu nõ sustinuit, reseruati fuerunt, in qua dolore excessiuo nos genuit. Quare eam meritò verā Rachelem nuncupare possumus, quæ post partum sui primogeniti Ioseph, Benjamin, id est, christianum populum summo dolore & mortis gemitibus peperit. Et tandem ex hoc partu mortua est, quia licet stans iuxta crucem, illius anima sanctissima non fuerit à corpore separata, eius tamen filius, qui vita Mariæ sacratissimæ & totius vniuersi erat, mortuus fuit, quod insinuant illa Simeonis verba. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc. 2.* Tali mortis genere ac tantis doloribus suum Benjamin peperit, quæ *Benoni* nun-

cupauit, quæ vox *filius mei doloris* significat. Hac ergo miraculosa generatione voluit Deus, vt modo possibili, & filii eius, & simul fratres simus: filii quidem, quia proprio sanguine genuit; fratres verò, quia filii sumus Beatiss. Virginis, quæ mater illius extitit, vt sic tanquam veros filios, & dulcissimi Iesu fratres diligeret & foveret: cui mysterio illa Ecclesiæ verba nituntur. *Monstrate esse matrem &c.* Ex quibus omnibus euidenter inferitur, Mariam sacratissimam librum esse actiue generationis Iesu Christi nostri Saluatoris. In tertia parte huius libri agendum erat de regeneratione Christi in sua sacratissima resurrectione, & de regeneratione suorum filiorum in ordine ad assequutionem vitæ æternæ, ita enim vocat Christus saluator noster vniuersalem resurrectionem. *In regeneratione cum sederit filius hominis &c. Matth. 19.* Sed longius solito nostrum sermonem protraximus, concludamus ergo asserentes, quodd illi, qui librum istum legerint, elucidaverint, & continuam meditatione ac suæ doctrinæ imitatione evolverint, vitam æternam habebunt. Itaque non promittit Deus vitam æternam his, qui solum librum istum evolverint & legerint, sed eis, qui sanctam imitatione & operibus comprobaverint. Idem Evangelista Ioannes in libro suarum revelationum, in quo omnia ista quindecim mysteria scri-

scripta sunt, sic ait. *Beatus qui legit & audit verba prophetiæ huius, & obseruat ea, quæ in hoc libro scripta sunt &c. Apocal. 1.* Quo non obstante qui sunt maximi peccatores, & propriæ salutis obliuiscuntur, nunquam Beatissimæ virginis deuotionem, & illius Rosarium sacratissimum omitant; Quia licet solum Rosarium sine vitæ honestate ad vitam æternam assequendam non sufficiat, multum tamen prodest ad vitam in melius commutandam. Multi enim ad vitam æternam prædestinati sunt, & medium ad illius assequutionem, intercessio est Beatissimæ virginis, quæ à Deo vitæ nostræ emendationem efficaciter impetrare solet, vt de Paulo affirmat. S. Aug. quod Ecclesia eum non habuisset, nisi per orationes Stephani. Ided certè tenendum est, quod per merita & suffragia Mariæ sacratiss. tanquam per media, sine quibus finis non obtineretur, multi saluantur. Quare quando aliquos ergà Beatissimam virginem & eius Rosarium sacratissimum affectos aspexeritis, maximam de ipsorum salute fiduciã concipite, Maria enim Sanctissima pro illis perpetuum patrocinium agat, vt depravatos mores in meliorem vitam commutent, & consequenter remissionem suorum peccatorum assequantur; deuotio namque illius, quæ in Rosario magis splendet, felicissimæ mortis & æternæ beatitudinis

prognosticū est. Et ratio huius esse potest, quia Maria sacratissima misericordiæ mater est, & peccatorum aduocata, ad quorum defensionem strictissimis vinculis tenetur: Si enim in mundo peccatores non essent, Verbum Diuinum carnem nostram nõ assumeret, & consequenter matrem non haberet. Si ergo tantum bonum, & tam suprema felicitas ex deuotione illius expectatur, adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt pro nobis in hac vita gratiam obtineat, & in alia hereditatè filiorum Dei, quæ est vita æterna, quam mihi & vobis præstare dignetur Iesus Christus, Amen.



Sermo Tertius

PRO SALVTATIONE

Angelica.



ysteriosa sunt illa verba sponsæ ad suum charissimum sponsum dicta. *Labia tua sicut vis-ta coccinea, & eloquium tuum dulce. Cant. 4.* Quæ quasi à sponso suæ sponsæ dicta, rectè usurpari possunt, iuxta sententiã S. Aug. qui censet, ea quæ in Canticis Can-

Pp 8

ticorum